PROPOSITIONES THEOLOGICÆ

REPETENTES SVMMAM DOCTRINAE DE IVSTIFICATIONE ET BONIS OPERIBVS, DE QVIBVS,

Deo iuuante, publicè diſputabit in Academia Vuitebergenſi die IIII. Martij, 1570. M. CASPAR CRVCIGER.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich & Antonius Schöne.

ANNO

M. D. LXX.

103

PROPOSITIONES THEOLOGICÆ, REPETENTES SVMMAM DOCTRINÆ DE IVSTIFICATIONE ET BONIS OPERIBVS.

I.

IN Eccleſijs noſtris, Dei beneficio, præcipuè extat illuſtris explicatio veræ doctrinæ de iuſticia fidei, ſeu, de remiſsione peccatorum & iuſtificatione coram Deo gratuita.

II.

Eumq́ locum in Eccleſia recte proponi & omnibus notiſsimum eſſe, ac ſemper incorruptum retineri, vt maxime optamus, ita ſummé neceſſarium eſſe iudicamus.

III.

Continet enim ſummam Euangelij, monſtrat proprium Chriſti beneficium, proponit retrahētem ex æterna morte conſolationem, docet qui ſint veri cultus Dei, ſalutariter erudit atq́ gubernat pias mentes in omni inuocatione, perſpicue diſcernit Eccleſiam à cæteris gentibus & ſectis in toto genere humano.

IIII.

Vnde manifeſtum eſt, in obſcuratione & deprauatione articuli huius & à veritate diſcedi, quam Deus immenſa bonitate patefecit, & ſummum filij Dei beneficium obrui, & triſtes induci Euangelio tenebras, vt in legem transformetur, & firmam conſolationem conſcientijs eripi, & veram Dei inuocationem mentibus

 excuti,

excuti, & fieri, confirmata dubitatione, ſimilem Ethnico cœtui Eccleſiam.

V.

Vniuerſaliter autem illuſtris eſt huius articuli ſeu loci explicatio, quando non apud ſecuros & voluptatibus ebrios ocioſa cantilena decantatur, ſed in vero dolore conſolatio quæritur: vt, cum Dauidem arguit & conſolatur Nathan. Cum Chriſtus inquit ad latronem: Hodie mecum eris in paradiſo. Cum Petrus in Actis clamitat: Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

VI.

Nam in tali auditorio, vbi vna res agitur & quidem agitur ſerio, ſcilicet quomodo reconciliatio fiat, & quomodo in præſenti lucta ſit erigendus animus, Ibi nec docenti difficilis eſt explicatio, & mens conſolationis auida libenter accipit vocem decreti diuini: ſicut Dauid auide accipit vocem abſolutionis, Dominus abſtulit peccatum tuum.

VII.

Nec eſt quod fingamus in ſcriptura proponi modum iuſtificationis ENTHVSIASTICVM, id eſt, alium extra hanc luctam, qua in conuerſione remiſsio accipitur, ſed ſciamus vniuerſaliter hunc modum proponi: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Item, Dixi confitebor aduerſus me iniuſticiam meam Domino, & tu remittis impietatem peccati mei. Item,

Ad

Ad quem reſpiciam niſi ad contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. Et hunc communem modum monſtrant exempla pœnitentiæ Dauidis, Ezechiæ, Mulieris peccatricis Luc. 7. Publicani Luc. 18. Latronis in cruce, Petri Apoſtoli, & magnæ multitudinis in Actis Apoſtolorum.

VIII.

Cumq; neceſſaria diligentia ſit in Eccleſia videre, quæ diſputationes coniungendæ, quæ ſeiungendæ ſint: Conſolationem, in qua remiſsio peccatorum annunciãda eſt, & auditor docendus, vt verbo Dei credat, ſeq; voce Euangelij ſuſtentet, non ordiamur à labyrinthis quæſtionum de prædeſtinatione ſeu arcana electione, nec accerſamus huc Stoicas diſputationes de neceſsitate & de fato, ac ne quidem de libero arbitrio hîc intempeſtiue rixemur, ſed aliquandiu quaſi ſepoſitis iſtis peregrinis materijs tota mente intueamur in vnam hãc quæſtionem de Iuſtificatione, perinde vt neceſſe eſt facere agentes pœnitentiam cum in doloribus quærunt conſolationem.

IX.

Itaq; vt huius loci doctrina plane & ſimpliciter exponatur, quemadmodum Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli eam tradiderunt, ſumamus initium ab vniuerſali promiſsione, ſonante apud mentes perterrefactas & auidas conſolationum, ſeu (quod idem eſt) ſumamus exordium huius doctrinæ ex verbis Chriſti, quibus ſummam Euangelij eruditiſsime complexus eſt: Ite

 prædi-

prædicantes pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in nomine meo.

X

Inſtituit enim Dominus immenſa bonitate miniſterium Euangelij, & vt ipſe agnoſcatur, & vt homines ſaluentur: Vultq; primum in hoc miniſterio omnes perterrefieri prædicatione pœnitentiæ, arguentis cum cætera peccata, quæ lex oſtendit, tum hoc triſtiſsimum peccatū quod propriè patefit in Euangelio, ſcilicet ignorationem et contemptum filij Dei, de quo Dominus inquit, Spiritus ſanctus arguet mundū de peccato, quod non credunt in me. Deinde vult omnes verè expaueſcentes agnitione iræ Dei aduerſus peccatum audire vocem promiſsionis gratiæ, ſeueriſsime præcipientem perterrefactis ne fugiant Deum, aut ruant in æternas blaſphemias, ſed vt aſsidua inuocatione confugiant ad Mediatorem Chriſtum, vtq; in lucta repugnante dubitationi clamantes cum Hieremia: Conuerte me Domine, & conuertar, & cum trepido illo patre Marci 9. Credo Domine, ſed opem fer imbecillitati meæ: conentur fide accipere promiſſa in Euangelio filij Dei beneficia, id eſt, vt credant ſibi propter obedientiam Propiciatoris huius certo donari gratuitam remiſsionem peccatorum, imputationem iuſticiæ, ſeu, reconciliationem, liberationem ab æterna morte, & viuificationem, quæ fit per ipſum Filium, per quem & Spiritus ſanctus effunditur, vt ad æternam iuſticiam reſtituamur.

Quare

XI.

Quare in vera conuerſione ad DEVM neceſſe eſt hæc fieri, videlicet, vt perterrefiant corda voce miniſterij arguentis peccata omnium hominum, qui in hac immundicie naturæ naſcuntur, & perterrefactæ mentes audiant ac fide apprehendant conſolationem de beneficijs filij Dei, propoſitam in promiſſionibus Euangelij, ſeu reconciliationis gratuitæ propter Mediatorem.

XII.

Certè iuſiurandum DEI: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: ſeueriſſime flagitat conuerſionem. Et, vt in oratione copulatiua, expreſſe coniungit hæc duo, CONVERSIONEM & VITAM, ne dubitemus eadem membra præcipuæ huius in Eccleſia doctrinæ omnes recte docentes omnibus temporibus eodem modo inde vſq; ab initio repetiuiſſe, id eſt, ſemper vnam & eandem Euangelij vocem ſonuiſſe, inde vſq; à prima concione facta in paradiſo, cum arguerentur ac reciperentur primi parentes, cumq; in hoc miniſterio primus ſacerdos eſſet ipſe filius DEI λόγος, alloquens Adam & Euam, primum hac triſtiſſima obiurgatione: Quid feciſti? Deinde ſimul edita hac dulciſſima & ampliſſima promiſſione: Semen mulieris conteret caput ſerpentis: vt iam morituri ex morte in vitam reuocarentur.

XIII.

Iam hic diligenter conſideretur, vtramq; concionem

vniuer-

vniuerſalem eſſe, ſicut enim prædicatio pœnitentiæ & arguit peccata in omnibus, & præcipit vt omnes conuertantur: Ita promiſsio gratiæ ſeu prædicatio remiſsionis peccatorum, & perterrefactis omnibus offert conſolationem, & ſeueriſsimè præcipit, vt omnes credant in filium Dei: iuxta hæc verè vniuerſalia dicta: Omnes nos quaſi oues errauimus, ſinguli in vijs ſuis, & Dominus coniecit in eum ἀνομίας omnium noſtrum. Item, Concluſit Deus omnes ſub peccatum, vt omnium miſereatur. Item, Oſculamini Filium, ne iraſcatur & pereatis &c. Beati omnes qui confidunt in eo. Item, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

XIIII.

Studeamus hæc ſeueriſsima æterna & immota DEI decreta infigere animis, vt hoc tempore ea opponamus cum furoribus Enthuſiaſticis, de retinenda dubitatione donec ei cogamur credere, ſeu de expectanda coactione, id eſt, violenta impreſsione diuinorum afflatuum, tum pernicioſis Papiſtarum deliramentis, & impio Synodi Triaentinæ decreto de dubitatione propter noſtram indignitatem, quaſi propterea ſemper dubitandum ſit, an ſimus in gratia, quia nemo ſcire poſsit, quando ſatis operum ſeu meritorum habeat.

XV.

Prodeſſe hanc quoq; commonefactionem diſcentibus iudico, qua oſtenditur voce concionum pœnitentiæ vniuerſalium non tantum accuſari omnes in hac natu-

ræ de-

ræ deprauatione totius generis humani perſonas, ſed detrabi iuſtitiã ipſis etiam OPERIBVS LEGIS, id eſt, huic toti obedientiæ, quam homines in hac infirmitate poſſunt efficere, & quam omnibus ætatibus ſuperſtitioſi hypocritæ ſomniant eſſe legis impletionem.

XVI.

Neq; enim obſcurum eſt hanc eſſe vim NEGATIVÆ PROPOSITIONIS, inſigni figura & verborum Emphaſi Rom: 3 recitatæ. Qua clamitat Apoſtolus. Omne os obturari & totum mundum fieri reum Deo, propterea quod ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram ipſo: quaſi dicat: De his ipſis loquor, qui faciunt opera legis, vt appareat dignitatem ac opinionem meriti ſeu laudem iuſtitiæ coram Deo diſerte detrahi his ipſis operibus, quibus Phariſæi fingunt ſe legi ſatisfacere, ideoq; ſe lege iuſtos eſſe, ac remiſſionem peccatorum hac ſua iuſtitia mereri planè perſuaſum habent.

XVII.

Quin & hoc in primis obſeruatione dignum videtur, quod Phariſaicum, Pelagianum, Monaſticum ſeu Pontificium illud delirium, quo hypocritæ imaginantur OPERA LEGIS ſeu diſciplinam, id eſt, obedientiam in externis actionibus cum Decalogo congruentem, eſſe diuinæ legis impletionem, mereri item remiſſionem peccatorum ſeu de congruo, ſeu de condigno, vel eſſe iuſtitiam, qua homines coram Deo ſint ac-

B cepti

cepti, ſic apertè in prædicatione pœnitentiæ miniſterÿ Euangelici propria redarguitur, refellitur ac reÿcitur, vt ſimul expreſſè mõſtretur diſcrimen inter IVSTICIAM CARNIS aliquo modo ſacientem externa legis opera honeſta, (id eſt, cũ præceptis Decalogi congruentia) etiamſi nequaquam ſint integra legis impletio ſeu perfecta obedientia diuinæ legi debita. Et inter IVSTICIAM FIDEI, de qua concionatur Euangelium, ſeu, inter iuſticiam Euangelÿ, de qua dicitur, Iuſtus fide ſua viuit.

XVIII.

Cuius quidem maximè neceſſariæ in hac doctrina diſtinctionis neſcio an illuſtrior typus proponi poſſit eo, qui conſpicitur in hiſtoria lapſus & reſtitutionis Adæ & Euæ Geneſ 3. vbi iuſticiam carnis ſeu diſciplinam (quam Paulus nominat OPERA LEGIS, id eſt, actiones externas, quæ fiunt locomotiua, ſic ciente aut frenante externa membra, ne in vllo externo geſtu & opere legem Moralem violent) exiſtimo pingi folio fici, quo poſt lapſum in Paradiſo nuditas primorum parentum tegitur.

XIX.

Nam ſicut folium fici foris tantummodo tegit deformitatem & inordinatos motus membrorum: ſic honeſta diſciplina (quam cum ſcriptura ſolemus appellare IVSTICIAM CARNIS, quia caro, id eſt, homo non renatus eam vtcunq; efficit) etſi propter plures cauſas neceſſario præſtatur etiam à non renatis,

&

& adeo pulchrum decus eſt, vt vere dixerit Ariſtoteles, Nec Heſperum nec Luciferum iuſticia formoſiorem eſſe: nihil tamen aliud ex ſeſe vel afferre vel præſtare poteſt, quam vt ſit tegumentum quoddam interioris in natura prauitatis & externorum geſtuum atq; membrorum qualiſcunq; frenatio, cum interim nec ſanet triſtia in mente, voluntate, & corde hominis vulnera, nec tollat ſenſum iræ Dei & mortem, nec vllo modo poßit eſſe meritum remißionis peccatorum & æternæ vitæ.

XX.

Certe folium illud quo ſe tunc in paradiſo texerunt primi parentes, non abſtulit ab eis interiorem immundiciem, ſeu peccatum & mortem, cum ipſi ſatis noſſent ſe non mereri remißionem peccatorum aut reſtitutionem vitæ æternæ illo ſuo tegumento, cumq; in ſenſu iræ Dei firmißime raciocinarentur ex lege ſe damnatos eſſe, tali ſyllogiſmo:

Iuſticia Dei eſt immutabilis.

Damnare ſeu deſtruere inobedientes eſt iuſticia Dei,

Ergo nos qui fuimus inobedientes immutabiliter deſtruemur, nec vnquam mitigabitur vox diuina de damnatione: Morte moriemini.

XXI.

Id argumentum ex lege ſumptum, vt per ſe verum eſt, ita non potuit ab vlla creatura ſolui ſeu refutari,

priusquam filius Dei λόγος, qui inenarrabili conſilio ac immenſa miſericordia factus deprecator ad pœnam ſeſe pro lapſis obtulit, protuliſſet ac oſtendiſſet ſolutionem promulgata prima promiſſione de venturo ſemine mulieris, quo rurſus tollendum ſit peccatum. Hinc demum intellexit Adam venturi redemptoris obedientiam in ſuſtinenda pœna (quam vt interceſſor in ſeſe transfert, quamq́; promittit ſe aſſumpta ſine peccato humana natura pro nobis perſoluturum eſſe) fore ſufficiens ſeu æquiualens precium, quo ſatisfiat iuſtitiæ Dei ad placandam iram, vt mirabiliſſimo iuſtitiæ & miſericordiæ temperamento recipiantur homines, qui fide fiunt membra promiſſi liberatoris.

XXII.

Nequaquam obſcura ſunt hæc piè cogitantibus quid ſit Euangelium, in cuius miniſterio quid opus eſſet, quidue prodeſſet argui peccata & vocari homines ad pœnitentiam, ne in peccatis & exitio relinquantur, niſi ſimul proponeretur hæc ſalutaris conſolatio, vnde ſit remiſſio peccatorum, & quomodo iuſtus ſit homo coram Deo, id eſt, niſi ſimul monſtraretur agnus Dei tollens peccata mundi, videlicet, filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus inæſtimabili miſericordia miſſus, vt nobis per & propter ipſum gratis reddatur iuſtitia & vita ſempiterna. Quem vtinam rectè agnoſcamus, & in tota æternitate celebremus.

XXIII.

Poſtquam ergo in prædicatione pœnitentiæ miniſtery

ſterij Euangelici propria perſpicue ac ſine vlla ambiguitate dictum eſt. Homines non ſatisfacere legi, nec lege iuſtos eſſe, ſed omnes reos & ſub peccato eſſe: iuxta has negatiuas Pauli propoſitiones, Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro. Item, Impoſsibile erat legi iuſtificare, quia per carnem fieri non poterat, Itē, non ex vobis, non ex operibus, ne quis glorietur, Item, Non ex operibus iuſtitiæ quæ nos fecimus &c: Ita iam accedamus ad doctrinam de IVSTICIA FIDEI, ſeu de iuſtificatione coram Deo, vt maximè intueamur & intenti ſimus in principalem propoſitionē & ſtatū controuerſiæ, ſeu, caput & arcem (vt ita loquar) Paulinæ diſputationis, quæ ſumma perſpicuitate illuſtrans diſcrimen Legis & Euangelij, & hos præcipuos ſymboli articulos declarans: Credo in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum &c. Item, Credo in Spiritum ſanctum, Item, Credo remiſsionem peccatorum et vitam æternam: citato perpetuo conſenſu Propheticorum teſtimoniorum acerrimè contendit & certo affirmat Rom: 3. Iuſtificari nos gratis Dei gratia (ſeu gratuita miſericordia) per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus ἱλαστήριον per fidem in ſanguine eius &c. Expreſsè item decernit fide iuſtificari hominē ſine operibus legis, clariſsime deniq; aſſeuerat excluſam eſſe GLORIATIONEM (id eſt, gloriā propriæ iuſticiæ corā Deo) per doctrinā de fide.

XXIIII.

Huius principalis in textu Pauli de Iuſtificatione

109

propoſitionis vere & conſtanter affirmo non aliam eſſe ſententiam, quàm quæ hactenus (Chriſto gratia) per annos iam plures quam 50. ſine vllis corruptelis (in magna cum temporū, tum certaminum varietate) ſemper eodem modo traditur, & iuxta catholicum ſcripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ conſenſum (cum quo congruit & Auguſtana Confeſsio) fideliter explicatur conſtanterq; defenditur in Academia & Eccleſia noſtra, cum vel his, vel ſimilibus (quam poſſumus proprijs & perſpicuis) loquendi formis vtimur, ſcilicet: Homines in veris pœnitentiæ doloribus EX INIVSTIS, id eſt, ex reis & non habentibus iuſticiam coram Deo, FIERI IVSTOS, id eſt, habentes remiſsionem peccatorum, & reconciliatos atq; acceptos Deo ad vitam æternam, ſeu, habentes ipſum Chriſtum qui eſt iuſticia noſtra, atq; ita IVSTIFICARI GRATIS ſeu per miſericordiam propter ſolum Mediatorem filium Dei, & quidem propter eius obedientiam, SOLA FIDE, id eſt, fiducia ſolius Mediatoris iuxta promiſsionem, quam fides intuens nititur obedientia, ſeu merito & interceſsione Redemptoris huius, ſtatuitq; perſonam credentis in vera pœnitentia iam vere coram Deo iuſtam, id eſt, habentem remiſsionem peccatorum, & reconciliatam atq; acceptam eſſe Deo IVSTICIA IMPVTATA: ſecundum hæc Pauli teſtimonia, Rom: 4: Non operanti, ſed credenti in eum qui iuſtificat impium, fides imputatur ad iuſticiam. Et in eadem Epiſtola cap. 5. Iuſtificati fide pacem habemus

erga

erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & fide acceſſum habemus in gratiam. Item, Per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi, vt gratia regnet per iuſticiam in vitam æternam.

XXV.

Sed quomodo hic intelligantur & VOCABVLA & totæ propoſitiones, cum oſtendimus veras firmiſſimeq́ retinendas eſſe has excluſiuas orationes: Iuſtificamur coram Deo gratis FIDE SINE OPERIBVS, Item, SOLA FIDE coram Deo ſumus iuſti, Item, SOLA FIDE SALVAMVR: id etſi ex longioribus ſcriptis ſumi poteſt: diſcentes tamen in præſentia breuiter moneri oportet: Primum, de verbo IVSTIFICANDI & vocabulo IVSTICIÆ, Non poſſe ab his appellationibus (quoquo modo enarrentur) hoc loco diuelli remiſſionem peccatorum & reconciliationem ſeu acceptationem perſonæ propter imputatam Mediatoris filij Dei iuſticiam, ſed proprie ac principaliter ineſſe ipſis relationem abſolutionis à peccato & gratuitæ receptionis coram Deo: Deinde, de voce FIDEI, ſignificari hac non tantum noticiam, qualis eſt et in Diabolis, ſed (vt vſitate loquimur) aſſenſum ita amplectentē omnes articulos fidei, vt vere ſtatuat beneficia Chriſti ad ſeſe pertinere, vtq́ acquieſcat fiducia huius vnius propiciatoris, qui eſt vmbraculum, non ſolum vt propter ipſum remiſſio peccatorum fide accipiatur, ſed etiam vt tota perſona credentis propter eum accepta ſit & placeat, quaſi tecta imputatione iuſticiæ ipſius:

Poſtea

Poſtea de PARTICVLIS apud Paulum EXCLVSIVIS: Gratis, SINE LEGE, Non ex nobis, NON EX OPERIBVS, SINE OPERIBVS, Itē ſola fide: tolli his diſerte OMNIA MERITA ſiue ceremonialium, ſiue forenſium, ſiue Moralium operum, nec excludi tantum vel contritionis, vel conatuum, actionum, & virtutum regenerationem præcedentium, ſed ſpiritualis etiam nouitatis ac obedientiæ in regeneratione diuinitus accenſæ, imo & ipſius fidei, qua corda viuificantur, in iudicio Dei DIGNITATEM, vt perpetuo fides intueatur ſolius filij Dei meritum, propter quod ſolum & recipimur & perpetuo placemus, quantumuis conſtet multas excellentes virtutes & diuinas actiones accepto Spiritu ſancto in nobis incoatas eſſe.

XXVI.

Quare non reſtringatur remiſsio peccatorum (quam & in oratione Dominica iubemur aſsiduè petere, & in quotidiana Symboli recitatione profitemur nos certo credere) ad certum ignoti nobis temporis articulum, ſeu ad ENTHVSIASTICVM & momentaneum IVSTIFICATIONIS ACTVM, ſed intelligatur de CONTINVA REMISSIONE, tunc etiam poſtquam renati ſumus in aſsiduis pœnitentiæ exercitijs petenda & apprehendenda fide: Confirmeturq́; Fides noſtra quotidie repetens & petitionem reconciliationis, & profeſsionem articuli de remiſſione in Symbolo; vt vere ſtatuat nobis quoq; in conti-

nuis

nuis pœnitentiæ exercitijs aßidue remitti peccata. Nam renatos etiam ſcire oportet ſibi perpetuum certamen eſſe cum diabolis, cumq; reliquijs peccatorum in ſua carne, & eoſdem neceſſe eſt perſeuerantes in exercitijs veræ conuerſionis perpetuo remißionem ac reconciliationem petere atq; accipere hac ipſa fide, quæ ſemper nititur propiciatore Chriſto Deo & homine, propter quem ſolum certo promiſſa eſt miſericordia. Certe Iohannes Apoſtolus de continua remißione loquitur, cum inquit: Si dixerimus nos non habere peccatum, ipſi nos ſeducimus &c. Sed ſi confitebimur peccata noſtra, ipſe fidelis & iuſtus eſt, vt remittat ea, & nos ab omni iniquitate emundet. Non ſepeliamus Mediatorē Chriſtum poſt diuinitus donatas nouas virtutes, ſed retineamus conſolationem Rom. 5. traditam: Gratia & donum per gratiam, quæ eſt vnius hominis Ieſu Chriſti, redundauit in multos ad iuſtificationem vitæ &c. Item, Gratia regnat per iuſtitiam in vitam æternam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et manifeſtum eſt Rom. 8. in hac ipſa conſolatione renatos ad interceßionem & obedientiam Mediatoris deduci his verbis: Quis eſt qui condemnet, cum Chriſtus mortuus ſit, & ſit in dextra Dei, vt intercedat pro nobis? Item Hebræos 7. ſemper viuens vt intercedat pro eis: vbi & citatur dictum pſalmi de Mediatore, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech &c.

XXVII.

At, quid planius et ſimplicius dici poteſt hac voce?

Etſi certũ eſt dato Spiritu ſancto multas virtutes ſimul inchoari, iuxta dictum: Effundam ſuper vos ſpiritum gratiæ & precum: tamen vera eſt propoſitio proprie loquendo, quod Paulus ſola fide ſit iuſtus, id eſt, quod propter Mediatorem placeat fide, non propter propriam dignitatem ſeu nouitatem, & quod obedientia Mediatoris, qua fides nititur, in infinitum anteferenda ſit toti ſanctificationi & nouitati, quæ in conuerſione ad Deum inchoatur.

XXVIII.

Certe fateri oportet fidem nunquam eſſe ſolam, ſed multas virtutes neceſſario ſimul eſſe, ſicut fateri oportet voluntatem, id eſt, potentiam volentem in anima hominis nunquam eſſe ſolam, ſed ſemper cum intellectu ſeu potentia intelligente coniunctam, & tamen hoc retineri neceſſe eſt, quod virtutes illæ nec cauſæ ſint, nec merita remiſſionis peccatorum & iuſtificationis ſeu acceptationis ad vitam æternam, vt verè dici poſſit: Sola fide ſumus iuſti, ſicut recte dicitur: Animam hominis ſola voluntate velle. Quemadmodum enim inſania eſſet cogitare iuſtificationem, in qua filius DEI corda liberat ex doloribus inferorum, & dat de ſuo ſpiritu, eſſe ſine magnis & ardentibus diuinis motibus, aut dicere per particulam, Sola fide, excludi contritionem & cæteras virtutes (vt initia dilectionis, boni propoſiti & nouæ obedientiæ) ne adſint: ita conſtat excluſa conditione noſtri meriti, vt cauſa reconciliationis in ſolum

Chriſtum

Chriſtum transferatur, vniuerſaliter hæc adimi ſeu detrahi quibuſcunq; virtutibus & operibus hominum, ne ſint meritum ſeu cauſſa vel iuſtificationis, id eſt, remiſsionis peccatorum & reconciliationis, vel viuificationis, quæ fit fide apprehendente remiſsionem & reconciliationem gratuitam, nec habente vllum aliud obiectum, ad quod in pauoribus reſpiciat, & quod in agone amplectatur, niſi miſericordiam & imputationem iuſticiæ Mediatoris, in Euangelio gratis ac certo promiſſam,

XXIX.

Hæc vera, certa, & perſpicua eſſe doceri poteſt teſtimonijs ſcriptorum Propheticorum et Apoſtolicorum, ac demonſtrari exercitijs omnium piorum in Eccleſia. Quare non dubium eſt, quin recte intellecta & illuſtrent promiſsionem atq; beneficia Chriſti, & afferant pijs firmam conſolationem, & accendant veram DEI inuocationem, quæ quomodo ad miſericordiam gratuitam confugere auderet, niſi & certam & propter Mediatorem promiſſam eſſe ſtatueret?

XXX.

Semper in conſpectu teneantur & dicta & exempla ſanctorum in Pſalmis & Prophetis eodem modo, id eſt, ſolius miſericordiæ & Mediatoris fiducia quocunq; tempore ad Deum accedentium, vt certi ſimus nequaquam nos errare, cum in quotidiana inuocatione agno-

ſcentes nos ad Deum non afferre merita, ſed peccata, credimus GRATIS, ſeu per miſericordiam nos recipi & placere, atq; ita accedimus ad Deum fide mediatorem apprehendentes, ac ipſius obedientiam & interceſſionem iræ & iudicio Dei opponentes, non aliter quam Prophetæ clamantes in ſuis precibus: Domine eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam Item, Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, id eſt, propter ſanguinem filij tui remittas mihi peccata. Item, Beati quorum remiſſæ ſunt ἀνομίαι, *& quorũ tecta ſunt peccata. Beatus uir cui Deus non imputat peccatum. Item, Benedic anima mea Domino, qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui redimit de interitu vitam tuam. Item, Aſpicis me in forma hominis, qui es in excelſis Iehoua Deus. Item, Nõ in iuſticia noſtra, ſed in miſericordia tua propter Dominum exaudi nos. Item, Oſculamini Filium, Beati omnes qui confidunt in eo. Item, Qui credit in eum non trepidabit, ſeu non confundetur. Item, Minor ſum omnibus miſerationibus tuis. Et, Angelus qui eripuit me ex omnibus malis, benedicat iſtis pueris. Et, Veniet Siloh, & ad ipſum fiet congregatio gentium. Et, Expecto ſalutare tuum Domine.*

XXXI.

Porro ne excutiantur nobis hæ veræ & ſalutares cõſolationes vllis ſophiſmatũ præſtigijs, diſcamus agnoſcere vitare ac refutare pernicioſas deprauationes ſeu corruptelas natiuæ Pauli ſententiæ, quas conſtat varie

contra

contra excluſiuam gratis & doctrinam de fide omnibus ætatibus excogitatas eſſe, vt cum Origenes, Pelagius, Thomas, recentes Monachi, Sphynx Auguſtana, Oſiander, Stenckfeldius, Thammerus, & ſimiles his præſtigiatores ελακικοὶ κατὰ συνεκδοχὴν ſic vel interpretati ſunt vel interpretantur propoſitionem, FIDE IVSTIFICAMVR, id eſt, fide præparamur, vt poſtea coram Deo iuſti ſimus alia re, ſcilicet toto cultu interiore, qui complectitur fidem & opera, ſeu, virtutibus non humana tantum diligentia, ſed etiam diuino quodam motu & afflatu excitatis, ſeu fide formata cæteris virtutibus, ſeu, dilectione diuinitus infuſa, ſeu iuſticia inhærente, ſeu iuſticia eſſentiali, quæ eſt Deus habitans et agens in renatis, ſeu transformatione Enthuſiaſtica, qua homo fit κοινωνὸς diuinæ naturæ, ſeu IMPRESSA nouitate, ſeu FIDE FOETA bonis operibus, ſeu miranda & noua Creatione, potentiq; & efficaci quadam APPLICATIONE DIVINITVS DONATA, ſeu infuſione plenitudinis gratiæ IN VRCEOLOS VACVOS.

XXXII.

Quamquam autem in his alienis ac ſophiſticis interpretationibus & impijs deprauationibus verborum Apoſtoli, aliæ apud alios deprehenduntur verborum inſidiæ atq; præſtigiæ (nã alij alios fucos orationis quæſiuerunt): tamen eandem cauſam erroris omnibus eſſe, & eodem tendere, eandemq; ſententiam falſam præſtigiatores iſtos omnes extruere à recte inſtitutis facile perſpicitur.

C iij Ne

XXXIII.

Ne vero prolixa ſit refutatio, hoc tantum diſcentes conſiderare velim, omnes eos qui vel amplectuntur vel defendunt impiam & ſophiſticam (quam expreſſe reijciunt Eccleſiæ noſtræ) ſynecdochen, primum nec intueri verum agonem conſcientiæ cum initio conuerſionis, tum deinceps in magna lucta, nec cogitare quæ ſit in magnis doloribus & ſenſu iræ Dei vera conſolatio, vbi homo cernens ſuam immundiciem & peccati molem non quærit qualis & quanta ſit in ipſo nouitas, nec circumſpectat ſuarum qualitatum decora, ſed ita quærit remiſsionem peccatorum & reconciliationem, vt agnoſcat eam neq; gratuitam neq; certam nobis eſſe, ſi pendeat vel ex conditione impleti à nobis Decalogi, vel ex dignitate nouarum virtutum, & actionum diuinarum in nobis: Deinde eoſdem huius corruptelæ vel approbatores, vel patronos prorſus tollere verum diſcrimen inter imputatam iuſticiam & inter effectionem nouitatis, ſeu diuinam efficaciam, qua fit mutatio qualitatum in nobis, Tollere item dicta Euangelij de gratuita miſericordia, quæ teſtantur credentes gratis, ſeu per miſericordiam propter Mediatorem iuſtos eſſe, et iubent eos acquieſcere in Deo fiducia Mediatoris, non fiducia propriæ dignitatis aut nouitatis, Tollere deniq; expreſſas confeſsiones non impleti Decalogi in omnium ſanctorum precibus: vt cum Dauid inquit: Non intrés in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Item, Dixi confitebor

aduer-

aduerſus me iniuſticiam meam Domino, & tu remittis prauitatem peccati mei. Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno. Et Moiſes: Coram te innocens non eſt innocens. Et Iob, Vere ſcio quod non ſit homo iuſtus coram Deo. Item, Timeo omnes dolores meos ſciens quod non parcis delinquenti, id eſt, quod non intueris innocentem. Item, Quis dabit purum de polluto, vbi nullus eſt purus? Et Paulus: Omnes peccauerunt, et carent gloria Dei etc. At poſita hac confeſſione ſeu perſpicua antitheſi in negatiuis vniuerſalibus, neceſſario ſequitur EXCLVSIVA, ſola miſericordia propter Mediatorem ſumus iuſti. Quæ quidem eſt propria Excluſiuæ ſentētia in noſtris etiam Eccleſijs, cū dicūt: hominem iuſtificari SOLA FIDE, Nam & Paulum ſic excluſiuam interpretari manifeſtum eſt ex hac ipſius voce: Ideo ex fide gratis, vt firma ſit promiſſio.

XXXIIII.

His ergo conſideratis fontibus non ſinamus eripi nobis aut eludi, ſiue Papiſtarum ac Ieſuitarum deliramentis Phariſaicis, ſiue deſertorum congregationis noſtræ partim Enthuſiaſticis, partim Antinomicis præſtigijs, hanc ſimplicem veram & perſpicuam declarationem. Qua in enarratione cum vocabulorum fidei & iuſtificationis, tum particularum (vt hoc loco nominantur) excluſiuarum omnes mediocriter doctos in Eccleſijs noſtris hactenus vſos eſſe conſtat: Quod ſcilicet idem ſit dicere, per miſericordiam homines iuſtos eſſe ac placere Deo, &, Homines FIDE iuſtos eſſe: Et quod

quod hæc propoſitio, SOLA FIDE iuſtificamur & ſumus iuſti, ſit intelligenda CORRELATIVE, pro iſta, Reconciliamur & placemus Deo gratis ſeu per miſericordiam propter SOLVM MEDIATOREM, quem tamen agnoſci, & cuius beneficia fide nobis applicari oportet: Item quod excluſiuæ cum à Paulo traditæ, tum in ſcriptis Auguſtanæ confeßioni conſentaneis crebro repetitæ non excludant à remißione peccatorum & à cauſa reconciliationis Chriſti meritum (oportuit enim legi ſatisfieri pœna in Mediatorem deriuata) ſed vniuerſaliter excludant & ſimpliciter damnent noſtram (vt Apoſtolus loquitur) coram Deo gloriationem, id eſt, Opinionem & fiduciam noſtri meriti ſeu conditionem propriæ dignitatis, Nec tamen intelligẽdæ ſint ideo tollere ac reycere dignitatem & merita noſtrorum operum coram Deo, Quia nos nihil agamus, vel quia bona opera fiant in nobis à ſolo Deo, perinde nouas qualitates infundente ſaluandis, vt fieri ſolet infuſio aquæ aut liquoris cuiuslibet in dolium ſeu vaſculum aliquod vacuum ſine vllo ſenſu receptionis aut motu correſpondente, vel quia fidem aliquando eſſe ſolam ſine cæteris virtutibus, & particulam Gratis non ad iudicium noſtræ conſcientiæ de voluntate Dei, ſed ad arcanam prædeſtinationem referri oporteat, ſed huc tantum dirigendæ & accommodandæ ſint excluſiuæ illæ in doctrina de iuſticia Fidei particulæ, vt & ſaluatori Chriſto debita gloria tribuatur, & promißionis Euangelij propriæ certitudo maneat, atq; ita conſolatio

latio firma retineatur, & recte Deus inuocetur fiducia Mediatoris, nec relinquantur mentes in dubitatione, quæ vt plane Ethnica eſt, ita Euangelium impie obruit, & filium Dei afficit horribili contumelia.

XXXV.

Vt ab omni vita, ſic maxime à doctrina de Deo procul abeſſe et remoueri oportet præſtigiatricē ſophiſticā. Conſtanter igitur & bona fide retinentes ea, quæ tradidit Deus per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos, nihil intricati, nihil perplexi, nihil inſidioſarum ambiguitatum, nihil ſophiſticarum præſtigiarum huic articulo miſcemus, aut admiſcuimus vnq̃, ſed dextrè, perſpicuè ac piè ſtuduimus, ac fauēte Chriſto ſtudemus exponere veram doctrinam, quæ per tot annos, Dei beneficio, in Eccleſijs et Academijs harum regionum, in quibus viuimus, orthodoxo perpetuoq; conſenſu ſine corruptelis vllis proponitur, teſtamurq; diſerte reijcere nos ac totò pectore deteſtari, cum Phariſaicos agminis Pontificij et Eſauitarum errores de dubitatione, de meritis operū, de noſtra legis impletione, tum Enthuſiaſtica, Antinomica & ελλαλικα *deliramenta de reconciliatione, ſeu acceptatione noſtri coram Deo, ſic ab imputatione iuſticiæ ſeu obedientia Mediatoris diſcernēda, vt vel inter effectus ac fructus, vel inter cauſas finales per fidem nobis applicatæ ac diuinitus imputatæ iuſticiæ collocanda ſit, deq; admirabili quadam & omnipotente creatione ſeu implantatione noui cordis ac fidei, per q̃ iuſtificatio nobis applicetur, vtq; poſſit efficax eſſe ſeu operari tanquam IN ACTVM (nobis quidem ignotum, veruntamen certis temporum momentis incluſum) producatur, de*

D IN

INFVSIONE *item plenitudinis gratiæ,* TANTVM IN VRCEOLOS VACVOS, *quæ infuſio fiat in ipſo* ACTV *iuſtificationis, ſiue momentaneo, ſiue certis temporum internallis dimetiendo, et quidē non tam gloriationem ſeu dignitatem, id eſt, cauſam, meritum, & precium iuſtificationis transferente à nobis in ſolam miſericordiam & Mediatoris obedientiam, quàm* OMNEM OMNINO OPERVM PRÆSENTIAM, *vna cum bene operandi neceßitate, prorſus remouente, ſeu exterminante atq; excludente: De particulis itēm excluſiuis in hac parte doctrinæ non tantum Phariſaicæ fiduciæ noſtri meriti ſeu propriæ dignitatis, ſed etiam incoationi ſpiritualis nouitatis ſeu cæterarū virtutum (quibus prælucere fidem ſemper oportet) contradictorie opponendis, vt reliquarum virtutum chorus non ſolum à cauſa et merito iuſtificationis, ſed ita quoq;* NE ADSIT, *id eſt, ne ſaluti noſtræ ſua peſtifera præſentia poßit officere, intelligatur excludi. De tali deniq; diſcrimine* FIDEI IVSTIFICANTIS ET OPERANTIS, *ex quo perſpiciatur fidem eſſe aliquando* SINE BONIS OPERIBVS, *Imo non iuſtificari fidem* NISI SIT SOLA, *id eſt, non coniuncta cum cæteris virtutibus.*

XXXVI.

His pernicioſis erroribus et prodigioſis deliramētis omnibus hactenus vno ore, conſenſu, ac ſpiritu contradixerunt Eccleſiæ noſtræ, oppoſitis ſemper quatuor magnis et neceſſarijs cauſis, propter quas Excluſiuas particulas: Gratis, ſine lege, Non ex operibus, ſine operibus, Sola fide &c, oſtendunt retineri defendi et illuſtrari oportere Quarum prima eſt, vt conſpiciatur beneficiū filij Dei, vtq; tribuatur huic Mediatori

tori proprius ac debitus honos, quod ſola ipſius obedientia ſit ἀντίλυτρον ſeu preciũ et meritum pro peccatis hominum, iuxta teſtimoniũ Iohannis Baptiſtæ: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Secunda, vt in vera pœnitentia pauidæ mentes certam & firmam conſolationem habeant, eſſet.n. & incerta et irrita prorſus remiſſio ac recõciliatio, ſi penderet ex conditione noſtræ dignitatis, ſeu, ſi daretur propter noſtra merita, ſicut Monachi imaginantes incertitudinẽ, docent ſemper eſſe dubitandum de gratia. Tertia, vt inuocatio ad Deum fieri poſſit fiducia filij Dei, non fiducia noſtrorũ meritorum, iuxta hæc dicta: Quomodo inuocabunt niſi credẽt? Itẽ, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, (id eſt, in agnitione et fiducia mei) dabit vobis. Nã conſcientia dubitans, an ſimus recepti, non inuocat, ſed fugit Deũ, ac retinet irã et fremitus aduerſus eũ. Ideo ſcriptũ eſt, Habentes talem Pontificẽ, accedamus cum fiducia ad thronũ gratiæ et miſericordiæ. Quarta, vt extet illuſtre diſcrimen legis et Euangelij, & ne præcipua vox Euangelij deleatur, Quia lex quoq; ſuas habet promiſſiones, ſed nequaq̃ gratuitas, vt dicitur: Qui fecerit ea, viuet in eis. At particula, GRATIS PROPTER FILIVM DEI, *manifeſtè diſcernit legẽ et Euangeliũ: Quod cũ excludat cõditionem noſtri meriti ſeu fiduciã propriæ dignitatis, nequaq̃ ſimul excludit pœnitentiã, et fructus dignos, id eſt, cõuenientes pœnitentiæ, Sed aſſiduè repetit has voces: Agite pœnitentiam, appropinquat.n. regnũ cœlorũ. Itẽ, Niſi pœnitentiã egeritis, oẽs ſimiliter peribitis. Itẽ, Niſi abundauerit iuſticia veſtra ſupra iuſticiã Scribarũ et Phariſæorũ, nõ poteſtis ingredi in regnũ cœlorũ. Itẽ, Securis ad radicẽ arboris poſita eſt, vt omnis arbor non faciens fructũ bonũ extirpetur, et in ignẽ abijciatur.*

XXXVII.

Nec dubium eſt totam ſententiam, quæ de hoc articulo docetur ac propugnatur in Eccleſijs noſtris, illuſtriorē fieri in vera conuerſione & quotidiana piorum inuocatione: Vbi, cum expaueſcentes agnitione iræ Dei diſcimus hanc vnam eſſe firmam conſolationem, videlicet confugere ad filium Dei, & huius fiducia accipere remiſsionem, incipimus certe intelligere vocabulo fidei non tantum hiſtoriæ ſeu doctrinæ noticiam ſignificari, ſed fiduciam verè ſtatuentem nos à Deo in gratiam recipi & iuſtos reputari, ac proijci noſtra peccata (vt Micheas loquitur) in profundum maris, non propter noſtra merita, ſed propter Mediatorem: Incipimus item intelligere hac fide, quæ eſt fiducia nitens ſolo Mediatore, vincendam eſſe dubitationem, ne ambigentibus animis excutiatur conſolatio: Incipimus etiam intelligere, niſi præluceat hæc fides in inuocatione precationem inanem eſſe: Atq; inde perſpicimus non eſſe SYNECDOCHEN cum dicitur: FIDE IVSTIFICAMVR, ſed proprie ſic dici, quod fides ſit fiducia acquieſcens in Mediatore, iuxta promiſsionem, ad quam & Paulus Rom: 4. fidem correlatiuè confert: Perſpicimus & hoc, quod abſurdiſsimum ſit in ſynecdoche pugnantia ſeu contradictoria comprehendere, cum fiducia miſericordiæ ſolum Mediatoris meritum intuens ſimpliciter excludat fiduciā propriæ dignitatis, cumq; certum ſit, ideo apprehenſioni miſericordiæ iuſtificationem tribui, vt noſtris operibus adimatur: Perſpicimus igitur hoc quoq; propoſitionem: FIDE IVSTIFICAMVR: in ſua ſimplici & germana ſignificatione EXCLVSIVAM

eſſe,

eſſe, etiamſi non addatur particula SOLA: Atq; ita vidraces nihil aliud in quæſtionem venire apud Paulum, niſi hãc ipſam EXCLVSIVAM, quæ fiduciã miſericordiæ et Mediatoris opponit noſtræ dignitati, et iuſtificationem, vt certa ſit, trãsfert ad SOLAM MISERICORDIAM propter Mediatorem promiſſam: Quare videmus non velle noſtras Eccleſias, cũ dicunt: IVSTIFICAMVR SOLA FIDE, id eſt, fiducia ſolius miſericordiæ propter Chriſtum promiſſæ: excludi vel contritionem, vel ſequentes virtutes NE ADSINT, ſed velle excludi dignitatem & meritum noſtrum à cauſa reconciliationis, viuificationis & glorificationis: Videmus deniq; non ideo detrahi gloriam meriti atq; iuſticiæ coram Deo bonis operibus, quia nec fiant nec fieri debeant noſtris viribus, ſeu quia nos nihil agamus, vel quia non requirantur ipſa opera, ſeu quia neceßitas debiti excludatur, ſed vt hæ ſententiæ retineantur: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Item, Excluſa eſt gloriatio per doctrinam de fide. Item, Non eſt volentis, neq; currentis, ſed Dei miſerentis Item, Operanti merces imputatur, nõ ſecundũ gratiam, ſed ex debito. Item, Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non iuſtificatus ſum. Item, Ideo ex fide gratis, vt firma ſit promißio. Item, Non ex operibus iuſticiæ, quæ nos fecimus, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit &c.

XXXVIII.

Certum eſt manere in tota æternitate hunc diuinum ordinem, vt creatura rationalis obtemperet Deo, cum & filius Dei ad hoc miſſus ſit, vt obedientia reſtituatur, non vt peccatum confirmetur & augeatur in nobis. Neq; n. ideo ſudauit

D iij ſangui-

ſanguinem, aut ideo in cruce mortuus eſt, aut ideo ſuſtinuit ineffabiles dolores in agone & morte Redemptor noſter, vt horrendis hominum furoribus licentia concedatur, vtq; (ſecundum verba Apoſtoli) gratia transferatur εἰς ἀσέλγειαν, ſed vt colligatur in genere humano Eccleſia, cui diuinitas ſuam ſapientiã, iuſticiam et læticiam communicet in omnem æternitatem, ſeu in qua (vt Paulus loquitur) Deus immediate ſit omnia in omnibus beatis.

XXXIX.

Hoc conſummatũ beneficium intueamur, cum dicitur: Non veni ſoluere legem, ſed implere. Item, Iehoua iuſticia noſtra. Item, Lex fide ſtabilitur. Item, Finis legis eſt Chriſtus ad iuſticiam omni credenti. Item, Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia: Id enim ſolis conuerſis ad Deum & fide liberatis dicitur. Ideo non imaginemur ipſam legem deleri, quæ eſt æterna ſapientia Dei, ſed ſciamus ὑπὸ νόμον εἶναι idem eſſe, ac ſentire condemnationem legis, ſeu condemnatum eſſe lege.

XL.

Iam cum conſtet recte dici in huius loci doctrina, quod noſtrum meritum neceſſario excludatur, et quod peccet Phariſæus Luc. 18. volens mereri, quodq; Paulus, qui ſub gratia eſt, neceſſariò habeat nouam obedientiam, nec peccet volens & habens eam, negari minime poterit credentes in hac vita habere iam initia æternæ vitæ, iuxta dictum: Qui habet Filium habet vitam: Quod intelligatur ordine, & de initio, & de vita æterna in illa cœleſti conſuetudine, vbi ita fulgebit in electis ſapientia, iuſticia & læticia Dei, vt nullæ ſimul futuræ ſint peccati reliquiæ. Interea cum in hac vita pecca-

tum

tum ſe[illegible] reliquū ſit in renatis, fide illi et iuſti ſunt, & li-
[illegible] lege, id eſt, & à condemnatione, et à doloribus infe-
[illegible] propter Mediatoris obedientiam, ſicut in ipſo Pauli
[illegible]: Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia: non dubium eſt hoc
ſignificari, quod habentibus Filium, in hac vita ſemper ad
Deum accedendum ſit agnitione Gratiæ, id eſt, gratuitæ
miſericordiæ certo donatæ propter Mediatoris obedientiam
& interceſſionem.

XLI.

Vt autem habetur filius Dei in hac vita fide: ſic conſolatio in veris doloribus hoc modo fit, cum fides agentis pœnitentiam ſeu conuerſi, Chriſtum paſſum, reſuſcitatū, regnantem, interpellantem pro nobis, et viuificantem nos intuetur, id eſt, cum credit ſe propter obedientiam Mediatoris habere remiſſionem peccatorum & reconciliationem ſeu imputationem iuſticiæ, et incoatam æternam vitam atq; iuſticiam, quæ poſtea conſummabitur: In hac conſolatione filius æterni patris immediatè efficax eſt voce Euangelij, ac viuificans credentem, effundit in cor Spiritum ſanctum, quo læticia acquieſcens in Deo, dilectio Dei, & vera inuocatio accendatur. Atq; hæc ſunt INITIA VITÆ ÆTERNÆ, de quibus & Prophetæ loquuntur in his dulciſſimis textibus: Dabo legem meam in corda eorum. Item, Effundam ſuper vos ſpiritum gratiæ & precum.

XLII.

Sicut enim per Spiritum ſanctum in cordibus accenditur & confirmatur fides, qua fit conſolatio & læticia acquieſcens in Deo, quæ quidem eſt teſtificatio, quod ſimus in gra-

tiam

tiam recepti, et ex inferis erepti: Ita cum hac conſolat... ne-ceſſario ſimul eſt coniuncta vera inuocatio, quæ hic nomina-tur SPIRITVS PRECVM, eſtq; incoatio no... obedientiæ in cordibus. Nam Spiritus ſanctus et alios ta... motus accendit, qualis eſt ipſe; Et in vera inuocatione neceſſe eſt corda ſeſe Deo ſubijcere, ac propter filium Dei petere S. ſanctum accendentem nouam lucem & nouos motus cum le-ge Dei cõgruentes, qui certè ſunt initium nouæ obedientiæ, in hac vita Deo placentis, quia perſona propter Mediatorem SOLA FIDE placet, & credit hanc ipſam obedien-tiam velut inuolutam Chriſti vulneribus Deo placere, non quod legi ſatisfaciat, ſed propter hunc Mediatorem, qui eſt ſummus ſacerdos, aſsiduè pro nobis interpellans.

XLIII.

Idem perſpicue docet & hæc Paulina gnome: Non eſtis ſub lege, ſed ſub Gratia, id eſt, Non eſtis captiui legis, ſed in-firmitas veſtra tegitur gratuita miſericordia, ſeu, remiſsio-ne & reconciliatione donata propter Filium, & per eum, qui eſt vmbraculum, & propiciatione ac perpetua interceſsione, vt propter ipſum parcatur ipſiusq; iuſticia imputetur nobis, & ſalutari gubernatione, qua non ſolum docet, et conſilio re-git mentes, ſed in cordibus etiam dato Spiritu ſancto, nouos motus legi Dei congruentes accendit, vt peccatum reprima-tur, ſeu, vt contra illecebras peccatorum corda confirmentur ne ruant, ſicut Ioſeph repugnans illecebris dominæ confir-matur à Spiritu ſancto, vt & furori mulieris & inſidijs Diaboli reſiſtat, ſicut item confirmantur Ioſua & Dauid in præliando, Helias & Heliſeus in reprimendis blaſphemijs,

&

[illegible]tyres omnium temporum in [illegible]e ac in pe[illegible]enais ſupplicijs.

XLIIII.

Plura de hac conſolatione, qua in veris pauori[illegible] miſsio peccatorum accipitur fide, & ſimul fit conſolatio viuificans cor ex inferis retractum, & per Spiritum ſanctum accenditur noua lux & æterna vita, quæ eſt ſpiritualis ac noua erga Deum obediẽtia, huc aſſumantur ex alijs ſcriptis longioribus. Nunc breuiter pertexenda ſunt quæ de RENOVATIONE [illegible] de NO[illegible]A & bonis operib[illegible]ce[illegible]cepimus. [illegible]ueramus falſiſsimum eſſe quod ſuperſt[illegible] Papiſtæ, & Monachi, ſomniantes ſe in cœlum ſuis meritis aſcendere, perinde vt in Cebetis tabula aſcenſus in verticem montis pingitur, impudentiſsime comminiſcuntur: Bona ſcilicet renatorum opera eſſe merita vitæ ac ſalutis æternæ: Et ſimul tamen, contra profanitatem Anabaptiſtarum & Antinomorum ſic nos à lege liberatos eſſe vociferantium, vt iam nihil ſit lex, vtq; conceſſa ſit in Euangelio licentia furenter laxandi frenos quibusuis cupiditatibus, retinemus hanc perſpicuam doctrinam & aſſeuerationem: quod videlicet, propter æter[illegible] i[illegible]utabilem ordinem [illegible]tiæ atq; iuſticiæ in [illegible]ionalis [illegible] ſubiecta ſit Deo con[illegible]tori, [illegible] propoſi[illegible] dicit, Nouam OBEDIENTIAM eſſe N[illegible]ARIAM, ſeu BONA OPERA eſſe neceſſaria.

XLV.

Etſi enim aliud eſt de violenta coactione loqui: tamen

E NE-

NEC[illegible]VM ſeu DEBITVM non [illegible] cat [illegible]one ſeu metu extortum, ſed ſignificat [illegible]onem, vt creatura Deo volens obediat: ſi[illegible]gelorum obedientia eſt neceſſaria, id eſt, ſic à Deo ordinata, & tamen eſt ſpontanea, non extorta coactione vel terroribus.

XLVI.

Qualis autem eſſet incertitudo, qualis vitæ confuſio, qualis b[illegible] dicere, Nouam obedientiam ideo non eſſe ne[illegible] SOLA [illegible] non dignita[illegible] præſentiam obe[illegible]ntiæ, Aut, Quia bona o[illegible]i et iuſtificanti fidei, Aut, Quia Deus non curet opera. Et his barbaricis atq; Cyclopicis vocibus ſerere atq; offundere populo hanc execrandam Antinomorum imaginationem, qua fingunt concedi licentiam violandi legem Dei contra conſcientiam, & tollunt diſcrimen peccati regnantis & non regnantis, contra regulas toties expreſſe repetitas: Debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem viuamus, ſi ſecundum carnem viuetis, moriemini, Sin Spiritu actiones carnis mortificabitis, viuetis. Item, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. Item, Qui[illegible]diligit manet in m[illegible]e. [illegible] Qui facit peccatum ex D[illegible] Item, [illegible]atores, neq; idolatræ, neq; m[illegible] regna[illegible]debunt. Item, Hi ſunt velut canes redeuntes ad [illegible]am. Item, Transferunt gratiam Dei in ἀσέλγειαν &c.

XLVII.

Agreſte item & inſulſum eſt cum mentio fit bonorum

operum,

operum, ſeu nouæ obedientiæ (quam conſtat eſſe incoatam cum lege Dei conformitatem) non complecti interiorem lucem & nouitatem, ſed tantum externi operis motum, ſeu, geſtum, id eſt, ſolam locomotiuæ gubernationem intelligere, cum ne populus quidem audiens nominari nouam obedientiam, ſeu, bona opera tantum de externis operibus cogitet, ſed complectatur in mente conſilium rectum, & in voluntate bonam προαίρεσιν, atq; ita intelligat initia cum interioris, tum exterioris obedientiæ. Hæc quo magis perſpicua ſunt, eo iuſtius dolemus in multis petulanter ludos & præſtigias in vſitatiſſimorum Eccleſiæ vocabulorum deprauatione quærentibus tantum eſſe non dico inſcitiæ, ſed maliciæ, vt contra manifeſtam veritatem latrare non deſinant.

XLVIII.

Nemo noſtrum vtitur hac forma verborum: Bona opera ſunt NECESSARIA AD SALVTEM: videmus enim hanc phraſin: Neceſſaria ad ſalutem: & de MERITO intelligi, & tanquam μῆλον ἔριδος arripi ad inflammanda diſſidia publica. Ideo malumus diſcentes hortari, vt recte loqui & iudicare ſtudeant, quam ignem gladio fodere, & cum ijs rixari, qui non habent ſtudium veritatis.

XLIX.

Loquimur autem de noua obedientia proprijs verbis ac perſpicuè, ſine vlla cum ambiguitate cum ſophiſtica. NOVÆ OBEDIENTIÆ INCOATIONEM, etſi nec reconciliatio-

E ij nem

nem nec vitam æternam meretur, eo ipſo tamen eſſe NECESSARIAM, Quia Deus hunc immotum ordinem ſanxit, vt creatura creatori obtemperet. Item, Quia Filius Dei venit vt deſtruat peccatum, non vt confirmet licentiam ruendi in ſcelera. Item, Quia donatio Spiritus ſancti fit ad hoc ipſum, vt incoetur obedientia, atq; ita lex Dei & imago Dei in nobis reſtituatur, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum.

L.

Nec liberatio à lege intelligatur eſſe talis laxatio, qualem furioſi Antinomi expetunt, qua ſcilicet Decalogus deleatur, ſeu qua deſinat ſapientia & iuſticia in Deo, immutabiliter ordinans vt rationalis creatura conditori ſit conformis. Imo, cum certum ſit ideo fieri reconciliationem, vt conformitas cum Deo reſtituatur, ſicut Paulus inquit: Fide legem ſtabilimus: manifeſtum eſt adeo neceſſariam eſſe obedientiam Deo debitã, iuxta ipſius voluntatem in lege expreſſam, vt miſſus & donatus ſit humano generi filius Dei, qui fieret victima, quia noſtra natura obedientiam amiſit. Cur Filius Dei fit victima, ſi obedientia non eſt neceſſaria? An ideo miſſus & paſſus eſt, an ideo ſudauit ſanguinẽ, et cruentus in cruce pependit, vt nos in peccato & morte maneamus, vtq; teterrimi furores hominum confirmentur, ſeu, vt homines ſpurciſſimis libidinibus Deum offendere, & omnibus ſceleribus contra conſcientiam indulgere pergant?

LI.

Ac, vt plures hoc loco neceſſitatis obedientiæ nouæ cauſas breuiter complectamur, dico etiam bene operandi neceſſitatem

tatem ex ipſa habituum in nobis natura aliquomodo intelligi poſſe. Quia enim in conſolatione, quæ fit fide, Spiritus ſanctus accipitur, vt incoet nouam & æternam vitam, quæ eſt et miſericordiæ Dei agnitio, & dilectionis erga Deum, ac boni propoſiti cæterarumq; virtutum neceſſariarum incoatio, neceſſe eſt fateri, quod cum fide ſimul accendantur & ſint multæ egregiæ virtutes & bona opera.. Sicut hoc ipſum vrgens Apoſtolus Rom: 6. tale argumentum extruit:

Neceſſe eſt viuam & regnantem naturam efficacem eſſe.

Cum fide Spiritus ſanctus accipitur, fit viuificatio, vt regnet in corde Spiritus ſanctus,

Ergo tunc ſit efficax, id eſt, accendat in renaſcentibus & motus & actiones ipſi conuenientes, vt vita, quæ per Filium dato Spiritu ſancto reſtituitur, vere talis ſit, qualis eſt ipſe Spiritus ſanctus,

L II.

Hæc iudico recte & concinne accommodari ad neceßitatem ordinis Cauſæ & Effectus, iuxta regulam: Quale eſt efficiens, talis ſit effectus. In quam ſententiam & alibi dicitur, Qui ſpiritu Dei ducuntur, hi ſunt filij Dei. Et, Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Item, Omnis natus ex Deo peccatum non facit, Quia ſemen Dei in eo manet. Et, Omnis qui non facit iuſticiam non eſt ex Deo. Et 2. Cor 3. Nos retecta facie gloriam Domini intuentes, ad

eandem imaginem transformamur à fulgore in fulgorem tanquam à Domini ſpiritu.

LIII.

Nec dubium eſt ex hac neceſsitate, quæ eſt ordo ſeu conſenſus cauſæ & effectus, alios cognatos neceſsitatis bonorum operum gradus ſequi, vt Neceſsitatem ex ordine partium veræ conuerſionis ad Deum, in qua vt abiectionem mali propoſiti, ita incoationem nouitatis filio Dei viuificante cor & dante Spiritum ſanctũ fieri neceſſe eſt. Item, Neceſsitatem cauſæ formalis in regeneratione, quia formale ſeu terminus ad quem regenerationis & ſalutaris ad Deum conuerſionis eſt incoatio nouæ & æternæ vitæ, congruens cum hoc Pauli Aphoriſmo, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. Certe renatus ſeu conuerſus neceſſario habet initia nouæ obedientiæ, & quatenus eſt nouus, eſt talis incoata nouitate. Iuxta dictum Apoſtoli: Qui facit iuſticiam iuſtus eſt. Item, Neceſsitatem retinendæ fidei de qua dicitur: Decerta bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam. Et, ſi quis ſuorum curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Et, Natus ex Deo cuſtodit ſe, nec attinget eum Diabolus, videlicet, intentum, καὶ τηροῦντα ἑαυτόν. Et, ſtudete vocationem atq; electionem veſtram firmam facere &c. Et, Si cor noſtrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad Deum &c. Deniq; neceſsitatem vitandi pœnas corporales & æternas, quia certiſsimum eſt ſcelera contra conſcientiam attrahere pœnas in hac vita, & ſi non fiat conuerſio, poſt hanc vitam, vt teſtantur

clariſsima

clariſsima dicta. Nemo vos decipiat vanis ſermonibus, propter hæc venit ira Dei ſuper inobedientes. Et, Cũ receſſerit iuſtus à iuſticia ſua & fecerit iniquitatem morietur in ea. Et, Manifeſta ſunt opera carnis, adulterium, ſcortatio, idolatria &c. De his prædico vobis, quod talia facientes, regnum Dei non poſsidebunt.

LIIII.

Hactenus de neceſsitate obedientiæ nouæ, quæ multiplex eſt. Cæterum quæ ſint bona opera, & quomodo poſſint in tanta naturæ humanæ infirmitate fieri, & quomodo placeant Deo cum reliquum ſit in nobis peccatum, & quod ſit diſcrimen peccatorum non regnantium, ſeu quæ manent in renatis in hac vita, & regnantium, ſeu per quæ homo deſinit eſſe iuſtus & domicilium DEI, ac fit reus æternæ pœnæ, effuſa gratia, excuſſa fide, & eiecto Spiritu ſancto, nihil attinet in præſentia diſputando prolixius explicare, cum conſtet in horum capitum expoſitione noſtras Academias & Eccleſias, ſecundum vſitatam in confeſsionibus apud nos publice receptis declarationem, adeo fideliter & conſtanter communem conſenſum tueri, vt de his nec controuerſiæ nobis quicquam mouere, nec ſcurriliter & calumnioſe reprehendere, inſectari, exagitare, arrodere in Scholis & Eccleſijs noſtris recte tradita ſecundum morem ſuum deſertores congregationis noſtræ ad hunc vſque diem vel potuiſſe, vel auſi fuiſſe videantur.

LV.

DE MERITIS etiam PRÆMIORVM,

E iij *id eſt,*

id eſt, quæ præmia mereantur nouæ virtutes renatorum, ſemper vno & eodem modo reſpondimus: iuxta dictum Chriſti: Cum feceritis omnia mandata vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, Quod debuimus, fecimus: Id eſt, Firmiſſime retinuimus hanc doctrinam & conſolationem, quod propter filium Dei & per eum gratis detur remiſſio peccatorum, iuſtificatio, & hæreditas vitæ ſeu ſalutis æternæ, non propter aliquod noſtrum meritum, quodq; fides gratis accipiens reconciliationem intelligat corporalia quoq; beneficia & præmia principaliter propter Mediatorem & ad Eccleſiæ in hac vita conſeruationem dari, nec amplificet propria merita, ſed in agnitione & confeſſione indignitatis propriæ repetat vocem Iacob, Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, id eſt, Mea obedientia non eſt meritum nec precium æquale tot & tantis bonis, quibus me indignum clementiſſime cumulaſti. Item Hieremiæ, Miſericordiæ Domini, quod non conſumti ſumus, quod non defecerunt miſerationes eius.

LVI.

Quanquam igitur expreſſe negamus bona opera mereri vitam æternam, ac diſerte oſtendimus quomodo & perſona ſit accepta, & placeat incoata obedientia, adhuc valde contaminata & languida: tamen cum fateri neceſſe ſit, virtutes renatorum honorificentiſſime in ſcriptura & fructus Spiritus ſancti, & cultus Dei atq; ſacrificia nominari, atq; diuinitus eis offerri ſeu promitti præmia ingentia, videli-

cet,

cet, incrementa donorum ſpiritualium in hac vita & poſt hanc vitam, ſicut Dominus inquit: Habenti dabitur, Item Paulus: Pietas habet & præſentis & futuræ vitæ promiſſionem, & omnia beneficia corporibus noſtris ad conſeruationem Eccleſiæ neceſſaria, iuxta dictum: Primum quærite regnum Dei & iuſticiam eius, & cætera omnia vobis adijcientur: non abijcimus hanc propoſitionem, Quod BONA reconciliatorum opera, etſi nec remiſſionis peccatorum, nec acceptationis ad vitam æternam, nec glorificationis in vita æterna vllo modo dici poſſunt merita: recte tamen dicantur habere ſua quædam præmia cum ſpiritualia in hac vita & poſt hanc vitam, tum corporalia, iuxta conſilium Dei, qui cum legales promiſſiones in reconciliatis non velit eſſe irritas, lenit pijs communes calamitates, vt ſeruetur Eccleſia, & pro obedientia & pijs exercitijs ſanctorum multa dat præmia publica & priuata, etiam in huius vitæ periculis ac miſerijs, in quibus vult exerceri fidem, & peti mitigationem, ſicut omnium ſanctorum exempla oſtendunt, vt Mulieris Cananeæ, Danielis, & ſimilium &c. Veruntamen agnoſcunt ſancti etiam in corporalibus beneficijs longe ſuperari liberalitate Dei ipſorum benefacta, etiamſi quid merentur.

LVII.

Poſtremo, concedimus vitam æternam, quæ propriè (vt Pauli verba retineamus) donum DEI eſt per IESVM CHRISTVM dominum noſtrum, ampliſſimam eſſe remunerationem pro piorum virtutibus & obedientia, quia Matth: 5. dicitur: Merces veſtra copioſa

E v eſt

eſt in cœlis, vbi vocabulum mercedis non intelligamus de compenſatione debita dignitati noſtrorum bonorum operum, ſed de fructu qui ſequitur pios motus, conatus, & labores in finaliter retinentibus fidem & bonam conſcientiam. Quia etſi propter aliud in conuerſione credenti datur hæreditas æternæ vitæ: tamen accidit ei vt ſimul ſit merces, non quidē debita noſtris meritis, ſed gratuita compenſatio piorū conatuum, laborum, exercitiorum, et certaminum, quemadmodum conſtat patrimonium venire filiofamilias non quia meretur, ſed quia natus eſt ex illo patre, atq; ideo non proprie dici mercedem officiorum filij, id eſt, compenſationem meritis illius debitam, ſed recte tamen nominari poſſe compenſationem officiorum, cum ſit remuneratio multo maior quam pro modo meritorum filij, quantumuis hic præſtiterit ſuo patri quantacunq; potuit officia.

FINIS.

ERRATA.

In Propoſition: XIIII. *linea* 4. *pro donec ei, lege donec ui.*

In Propoſition: XXXIII. *linea* 33. *pro intueris innocentem, lege inuenis innocentem.*